

Ad has premissas legationes semper per Consilium Domini Nicos (Nicolai) Juritssych, nostri Supremi Capitanei, talem relationem dedimus, ut honori nostro incumbit, et nullus Christianus in nostris relationibus contra nos non potest dicere. Ideo noverit Maiestas Vestra, quod impossibile est audire paupertates ac oppressiones nostras, que passi sumus, patimur et de presenti, presertim nunc, postquam sumus pre manibus Maiestatis Vestre, in primis, quod omnes illi, qui nobis iuvamine et auxilio erant, nos relinquerunt, omnia collata et auxilia a nobis retraxerunt, et nobis dare recusaverunt.

Aliud, quod victualia nec de mare nec Sava non adveniunt, de qua Causa summa esuricio in Croatia est, ut nullus hominum tantam vidit, multi homines iam esuriendo mortui sunt. Nunc quoque moriuntur. Domine Serenissime, hoc vna Causa est, circa hoc, quod stipendium illud non est datum, ut nobis ab Oratoribus Maiestatis Vestre promissum fuit. Illud etiam parum pecunie, quod nobis est datum, cari foro nobis dant, ut nec in Regno Maiestatis Vestre, neque nullibi sub illud accipere volunt, sub qua nobis dant, quia pecunie, que nobis dantur sub cruciferis octo ab fenyk Magistro, illos in terra Maiestatis Vestre, pro Victualibus nec sub sex cruciferis accipere volunt; florenos aureos, quos nobis dant, ad aliquos perdimus Cruciferos decem, et ad aliquos quatuordecim, pannum, quod nobis dant, perdimus ad quamlibet ulnam cruciferos octo. Respectu premissarum Causarum, quod hec terra ad tantam inopiam et egestatem devenerit, quod iam Jobbagiones nostri volunt fugere ante turcos, circa nulla fortalicia, nisi in via stant, deliberato animo multi se darent ad captivitatem, ut pone saturari possint. Insuper intelleximus a Sacerdotibus, quod una pars hominum nostrorum etiam in fide ambigua est, propter hanc miseriam, quam paciuntur. Preterea, Serenissime Rex, scit Maiestas Vestra, quod Nonnulli ex nobis scripserant Maiestati Vestre, respectu aliquarum oppressionum et miseriarumstrarum, ac respectu Castrorum finitimorum. Omnino iam expectabamus providentiam a Maiestate Vestra. Preterea sciat etiam Maiestas Vestra, quod adhuc nulla providencia est Castro Byhag ab Francisco Bathyany, qui in Castro non tenet ultra quam quinque homines. Incole vero Civitatis in dies recedunt alias habitare. In ipso enim Byhag, usque Banatum ipsius Francisci Bathyany, semper tenti sunt Centum Equites, et centum pixidiarii, qui Franciscus adhuc nunquam inter nos fuit. Nunquam se promisimus condam Regi Serenissimo Hungarie, usque Maiestati Vestre, eum nobis habere pro Bano. Sed respectu ac intuitu Maiestatis Vestre, si dictus Franciscus Bathyany inter nos habitare vult, et illis, quibus debitor est, Maiestati Vestre servire, Nos in hoc secundum mandatum Maiestatis Vestre volumus; quare supplicamus Maiestati Vestre, quod nullum Banum inter nos facere dignetur, qui inter nos manere non vult. Pro ceteris Castris finitimis, ut prius scripsimus Maiestati Vestre, ut erga ipsa Castra absque procrastinatione providere dignetur Maiestas. Quare timemus, quia tarde nobis relationes veniunt a Maiestate Vestra, quod non tantum unum Castrum, sed totam terram perdemus. Insuper intuitu Stipendii, quod iam reservavimus, supplicamus Maiestati Vestre humillime, ut Maiestas Vestra eundem Stipendium mox absque ulteriori procrastinatione nobis dari et persolvi facere comitteret et iuberet. Proinde Maiestati Vestre supplicamus humillime pro moneta, ut huiusmodi monetam Maiestas Vestra dare comitteret, ut eandem absque magno damno exponere possemus. In hoc Regno necessarium esset tali moneta: floreni Hun-